MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80066-9

AUTHOR:

PUHL, MAX

TITLE:

OTHONE ET VITELLIO IMPERATORIBUS...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1883

Master Negative #

91-80066-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Puhl, Max, 1856-
De Othone et Vitellio imperatoribus quaestiones ... Halis Saxonum, typis Ploetzianis, 1883.
38 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Halle.

Volume of pamphlets

 Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

DE

OTHONE ET VITELLIO IMPERATORIBUS QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MAX PUHL

FILEHNENSIS.

HALIS SAXONUM,

TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).

MDCCCLXXXIII.

PARENTIBUS SACRUM.

I.

De Othone.

Apud Tacitum (hist. lib. I c. 90) legimus, Othonem die 14 Martii Roma ad bellum profectum esse, Suetonius autem (vit. Oth. c. 8)[1]) imperatorem die 24 Mart. ex urbe discessisse tradit.

Hic oritur quaestio, utrum Tacito an Suetonio fidem habeamus.

Atque omnes fere et ii viri docti[2]) Tacitum secuti consentiunt, Othonem die 14 Mart. vel paucis diebus post Roma profectum esse, cuius rei Bonnet quoque argumentorum momenta in medium protulit.[3])

Krauss[4]) autem, qui illum diem in dubium revocaverit et Suetonio credens Othonis profectionem die 24 Mart. factam esse existimet, ut hoc loco denuo hanc rem attingam, facit. Cuius ut sententiam refellam, hoc firmissimum afferri videtur, quod a ratione temporum petitur.

---

[1]) die, quo cultores deum Matris lamentari et plangere incipiunt i. e. die 24 Mart.

[2]) Tillemont, Histoire des empereurs etc. Paris 1720 Tom. I pg. 374. Peter, Römische Geschichte 1867. Bd. III 2 pg. 22; Beckurts, Zur Quellenkritik des Tacitus, Sueton und Cassius Dio etc. Braunschweig 1880 pg. 63.

[3]) Bonneti argumentationis nullam notitiam habeo nisi ex Heraei commentario ad Taciti libros hist. ed. tert. 1877 pg. 130. Heraeus interroganti mihi, quo loco Bonnet illud explicasset, respondit: Bonnets Bemerkungen sind in einem mir s. Z. zugesandten schriftlichen Heftchen voll krit. und erkl. Noten enthalten.

[4]) Krauss, De vitarum imperatoris Othonis fide quaestiones, Progr. Zweibrücken 1880 pg. 43. Sed non est, quod de Suetonii fide hoc loco dubitemus.

Quaestionem meam ita instituam, ut a die Othonis mortis initium capiam. Die 17 April.[1]) Otho mortem sibi conscivit, postquam pridie exercitus Betriacensis in fidem ac potestatem Vitellii ducum venit. Die 15 April. pugna apud Betriacum[2]) vel Cremonam[3]) commissa Othoniani victi sunt.

Die 14. April. promota ad quartum a Betriaco castra sunt.[4])

Paucis autem diebus antequam Othoniani Betriaco profecti sunt, gladiatores Marcio Macro duce ad Padum agentes cum Batavis rem male gessisse mihi videor. Plutarchus etiam (vit. Oth. c. 11) tradit hac clade gladiatorum milites Otho-

[1]) De die mortis Othonis viri docti inter se dissentiunt. Peter l. l. pg. 31 et Krauss pg. 62 Othonem die 16 April. mortem obisse statuunt; Tillemont l. l. pag. 381, utrum die 15 an 16 April. Otho mortuus sit, incertus est: Merivale (History of the Romans under the Empire sec. ed· Vol. VI London 1862) pg. 422 imperatorem die 17 April. de vita decessisse putat. Ad hanc sententiam ego quoque accedo. Cassius Dio enim (epitome Xiphilini) dicit 64, 15 Othonem „ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη ἕνδεκα ἡμερῶν δέοντα“ vixisse, apud Suetonium autem (vit. Oth. c. 2) imperatorem die 28 April. natum esse legimus. Ex quo efficitur, (de ratione antiquorum scriptorum conferas pg. 22 adn. 2). Othonem die 17 April. mortuum esse. Huius rei Josephus quoque (bell. Jud. IV, 9, 8) testis est, cum Othonem tres menses et duos dies regnasse dicat. Sed hic dixerit quispiam, iam diem 15 Jan., quo Galba interfectus et Otho ab militibns imperator salutatus est (Tac. h. I, 27—45), addendum esse ad eos dies, quibus Otho imperium tenebat. Sed antiquos scriptores dies imperii ita numerasse, confirmari nullo modo potest. Ceterum si diem 15 Jan. adderemus, dies 17 April. deducendus nobis est atque ita idem dies Othonis mortis efficitur. Illud autem, quod apud Dionem legimus (64, 15) Othonem nonaginta dies regnasse, explicari non potest nisi ita ut, quo die Othoniani ad Betriacum victi sunt, supremum diem Othonis imperii fuisse ponamus. Suetonius cum dicat Othonem nonaginta quinque dies imperium tenuisse, vehementer errat; nam die supremo ludorum Cerealium i. e. die 19 April. Romam iam mors Othonis nuntiata est. Tac. II, 55.

[2]) Quomodo hoc nomen scribendum sit, exponit Mommsen in Hermes V pg. 167.

[3]) Ita nominatur pugna a Cassio Dione 64, 10.

[4]) Singuli dies facile efficiuntur ex. Tac. hist. II, 39—46 Plut. Oth. c. 11—14.

nis, qui ad Betriacum castra posuerant, ita incitatos esse, ut contra hostes duci concupiscerent.

Quo tempore gladiatores cladem acceperant, Otho Betriaco iam discessisse videtur. Hoc ex Plutarcho c. 10 dilucide apparet atque etiam ex Taciti narratione colligi potest.

Traditur enim II, 33 primum Betriaci Othone praesente constitutum esse cum hostibus decertare, deinde Othonem discessisse et imperia ducum in incerto reliquisse. Pergit tum Tacitus c. 34, Vitellianos nihil non comperisse et propterea transitum Padi simulasse, quo proelium cum gladiatoribus factum est.

Supra dixi paucis diebus ante diem 14 April. gladiatores cum Batavis manus conseruisse. Quod ad confirmandum haec Taciti verba affero: II. 36 nec multo post (cladem gladiatorum) Vestricius Spurinna iussu Othonis relicto Placentiae modico praesidio cum cohortibus subvenit. Dein Flavium Sabinum consulem designatum Otho rectorem copiis misit, quibus Macer praefuerat, laeto milite et modestiore ad mutationem ducum etc. Quin autem Spurinna et Sabinus iam ante pugnam Betriacensem ad gladiatores venerint, nemo dubitabit.

Neque igitur nos erraturos esse spero, si tribus fere diebus ante pugnam ad Betriacum commissam i. e. d. 12 April. gladiatores victos esse putamus.

Hoc statuisse — quodquidem difficile non erat — videtur mihi modo propterea esse magni momenti, quod Lange hanc pugnam gladiatorum cum Batavis eodem die quo ad Betriacum pugnatum est, commissam esse existimat.[1]) Krauss

[1]) Lange. De Tacito Plutarchi auctore. Diss. Hall. 1880. pg. 23. Quo loco (II, 43) Tacitum — nam Batavos eosdem esse, quos Germanos loco supra commemoraot (II, 35) nominat, per se apparet — ad illa, quae antea (hist. II, 34) rettulerat, lectores revocare satis nobis patet — non patuit Plutarcho. Qui in enarranda illa pugna haec refert (c. 12) ἐπήγαγεν — διεφθάρησαν. Quo ex loco intellegitur Plutarchum verbis allatis Taciti aut fontis communis novum, quibus adea, quae ante pugnam facta et a Tacito et ab ipso Plutarcho iam prius relata erant (Tac. II, 34, Plut. c. 10), lector revocatur, novum quoddam sua sponte excogitasse proelium. cf. quoque pg. 63.

quoque, quamquam initio commentationis suae (pg. 5) de secundo gladiatorum cum Batavis proelio dubitare videtur, tamen postea (pg. 49) ipse demonstrat, illam a Tacito II, 43 commemoratam pugnam gladiatorum novam esse.

Sed redeamus et quo fere die pugna ad Castorum[1]) commissa sit, computemus.

Est enim apud Tacitum II, 30 Valentem, cum castra apud Ticinum posita muniret, certiorem de Caecinae clade factum esse et deinde „rapido agmine“ cum Caecina se coniunxisse.

Ticinum autem a Cremona abest quinquaginta fere milia passuum, quam obrem Valens Cremonam venisse non potest nisi duobus diebus post Caecinae cladem.

Deinde inter Valentem Caecinamque et Othonis duces crebrae epistulae missae et allatae sunt.

Quo tempore Othonem ipsum in castris ad Betriacum positis nondum fuisse, sed his rebus, ut Brixello Betriacum proficisceretur, commotum esse mihi videor. Tum Betriaci consilium de belli gerendi ratione initum constitutumque est cum hostibus decertare (Tac. h. II, 31—33).

De numero autem dierum qui necessarii erant, ut crebrae inter Vitellianos et Othonianos epistolae mitterentur et acciperentur, deinde Otho Brixello proficiscens Betriacum veniret, hic iniret consilia, denique Brixellum rediret, dubitare possumus, sed illis rebus quattuor dies expletos esse nemo non concedet.

Quoniam supra ostendere studuimus, Othonem iam antequam gladiatores victi sunt, Betriaco discessisse, inter hanc cladem et proelium ad Castorum commissum dies sex interiecti sunt. Itaque facile alicui persuaseris, ut pugnam ad Castorum die fere 6 April. fuisse credat.

Quin autem paucis diebus ante hanc pugnam Suetonius Paulinus et Marius Celsus Betriacum advenerint et ad summam imperii accesserint quis est qui dubitet? Optimo igitur iure nobis statuendum est Paulinum ac Celsum non post diem 4

[1]) Tac. h. II, 27. Plut. Oth. c. 7. Suet. Oth. c. 9.

April., quin etiam, quod quidem magis credo, paulo ante Betriacum venisse.

Quos duces cum una cum Othone Roma profecti essent, imperatorem semper comitatos Brixellum accessisse, inde ab Othone Betriacum esse missos nemo negabit.

Cuius rei Plutarchus quoque testis est. Capite enim quinto Othonis vitae traditur, ab Othone duces Marium Celsum, Suetonium Paulinum, Gallum, Spurinnam Brixello missos esse (Betriacum).

Quamquam falsum est, Gallum et Spurinnam Othonem Brixellum comitatos esse, tamen dubitandum non est, quin alteri duo inde Betriacum profecti sint. Plutarchus enim in errorem eo inductus est, quod res in breve contraxit.

Atque etiam ex Tacito demonstrari potest res ita accidisse. Dicit enim II, 11 Gallum cum Spurinna „transgresso iam Alpes Caecina“ ad occupandas Padi ripas praetermissum esse.

Itaque nobis colligendum est, Suetonium Paulinum et Marium Celsum Othonis comites fuisse. Idem apparet ex Tacito I, 87, 89, 90.

I, 87 traditur, peditum equitumque copiis Suetonium Paulinum, Marium Celsum, Annium Gallum rectores destinatos esse.

I, 89 Caecinam iam Alpes transgressum esse.

I, 90 Othonem in consiliis Suetonio Paulino et Mario Celso usum esse. Quo loco Tacitus Annii Galli mentionem propterea non fecisse videtur quod hic Romae non erat, sed inde profectus erat, ubi Caecinam Alpes transgressum esse nuntiatum est.

Supra demonstravimus Suetonium Paulinum et Marium Celsum iam die 4 April. Betriaci fuisse. Sequitur, ut Otho non post 3. April. Brixellum pervenerit.

Roma autem et Brixellum longo plus ducentorum quinquaginta lapidum spatio disiunctae sunt. Itaque fieri non poterat, ut Otho, quem „comitabantur speculorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus“ (Tac. II, 11) atque insuper magna senatus pars, quae quidem iam Mutinae relicta erat (II, 52), hanc viam tam brevi tempore conficeret,

Quamquam enim Tacitus testis est, imperatori „nec segne aut corruptum luxu iter" (II, 11) fuisse, tamen his verbis demonstrari nullo modo potest, Othonem [1]) et milites eius per decem dies (inde ab die 24 Mart. usque ad diem 3 April.) iter plus vicenorum quinorum milium passuum fecisse, qui labor videtur eiusmodi esse, ut validissimi milites et laboribus militiae maxime sueti eum perferre non potuerint, nedum Othonis milites „belli ignari" (II, 18).

Accedit quod apud Suetonium (Oth. c. 8) scriptum legimus, iter Othonis primum inundationibus Tiberis, tum etiam ad vicensimum lapidem ruina aedificiorum retardatum esse. His argumentis expositis iam satis mihi comprobasse videor Suetonium diem profectionis Othonis falso tradidisse.

Quoniam Kraussii sententiam ita refutavimus, nunc nonnullas res, quae in bello ipso inter Othonianos et Vitellianos gestae sunt, accuratius statuamus atque illustremus.

Atque primum quidem Othonis milites cum Vitellianis ad Placentiam, quam Vestricius Spurinna defendebat, manus conseruerunt (Tac. h. II, 17, 18 sq). Iam Krauss [2]) Plutarchum propterea vituperat, quod res neque diligenter profert et secum dissentit.

Plutarchus enim narrat (Oth. c. 5) milites, quos Spurinna munera gravia (*λειτουργίας*) obire coacturus erat, primum seditionum fecisse, tum ducem ipsum proditorem (*προδότην καὶ λυμεῶνα τῶν Καίσαρος καιρῶν*) nominasse; contra apud Tacitum legimus, cum milites Spurinnae „indomitos et belli ignaros" cum hostibus conflicturos esse, tum, cum Spurinna veniam non daret, concitasse tumultum atque „prodi Othonem et Caecinam accitum" clamitasse.

Ex quo Krauss colligit „milites iratos fuisse non quod laboribus insueti erant, sed quod cunctabatur Spurinna et nimium pugnandi ardorem militum coercebat" (pg. 12).

[1]) Tac. II, 11 „lorica ferrea usus et ante signa pedes ire, horridus incomptus famaque dissimilis." Quod quidem nisi initio itineris non factum erit.

[2]) l. l. pg. 11.

Atqui narrationem Plutarchi rectam esse existimo. Res autem hoc modo se habuisse videtur. Cumque Spurinna milites suos stimulavit, ut munimenta Placentiae reficerent repararentque, [1]) tum illi studio bellandi inflammati clamabant et poscebant, ut ad pugnam deducerentur.

Qua in re cum Spurinna voluntati eorum non obsequeretur, tumultum fecerunt. Intellegis igitur Tacitum primam causam seditionis, alteram Plutarchum omisisse. [2])

Sed iam alia quaestio exstat. De pugna ad Castorum commissa nunc erit nobis disserendum.

Quomodo proelium initum sit, plane apud Tacitum [3]) scriptum legimus. Acies autem a Paulino ac Celso ita instructa erat.

In sinistro duo milia legionariorum, [4]) quattuor auxiliorum cohortes, quingenti equites, in dextro legio prima, duae cohortes, quingenti equites, in aggere viae tria milia praetorianorum, quorum erat media acies, praeterea mille equites in subsidio erant collocati.

Nobis autem esse statuendum puto, milites, qui in lateribus erant, proiectos et in insidiis locatos esse eodem modo quo Vitellianos „imminentibus viae lucis" Caecina composuerat.

Quam aciem commutatam esse Tacitus insequenti capite dilucide docet. Dicit enim: a lateribus cohortes, legionum adversa frons. Quo tempore Celsus, qui equitibus praefectus erat, cum Vitellianis congressus est, eo legionarii a Paulino

[1]) cf. Tac. II, 18 certum erat Spurinnae . . . coercere inter munimenta militem.

[2]) Iam vides me sententiam eorum sequi, qui Plutarchum et Tacitum communi fonte usos esse contendunt. Sed de hac re postea.

[3]) Tac. II, 24 sq.

[4]) Tac. II, 24 tertiae decumae legionis vexillum, in quo erant duo milia militum, ut ex Tacito II, 11 patet: fuere quattuor legiones, e quibus bina milia praetermissa.

a lateribus revocati et in media acie esse collocati videntur.[1]) Interim mille equites, qui in subsidio erant, „subito discursu terga (Vitellianorum) cinxerant.“ Quodsi hoc momento a Paulino peditibus pugnae signum datum esset, actum esset de Vitellianis. Sed Paulinus cunctabatur — fortasse putaveris pedites, cum acies commutata esset, ut demonstravimus, nondum suis ordinibus compositos et instructos fuisse — et „compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iubebat“: ad quod efficiendum praetorianos, quos in commutata acie collocatos esse non audimus, a Paulino adhibitos esse mihi videor. Quo consilio? quid spectans Paulinus rem ita gessit? nulla alia causa nisi propterea quod Vitellianos devincere et concidere noluit atque eo consilio perductus est, ut Othonis rei non modo non prodesset, sed etiam officeret et obstaret.

Qui igitur sententiae Nisseni[2]) assentiuntur, Othonem pugna ad Betriacum vel Cremonam commissa ab ducibus senatoriis, imprimis a Suetonio Paulino, esse proditum, ii hanc rem ad eam quam subtiliter Nissen protulit sententiam comprobandam proferre poterunt.

Sed videamus, quae argumenta, ut Paulinum excusaret defenderetque, Tacitus attulerit.

Dicit enim de eo II, 25: cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.

Paulinum autem cunctatorem natura fuisse rebus et in Africa et in Britannia ab eo gestis comprobari nullo modo potest.

Nam in Africa montes Atlantis transgressus est atque audaci itinere tam longe progressus est, ut regiones intraret, quas antehac nemo Romanus tetigerat.[3])

---

[1]) Heraeus in commentorio ad Tac. hist. libr. pg. 159 alio modo rem exposuit: Während nämlich Celsus zu Anfang der Affaire mit der Reiterei der beiden Flügel vorgerückt war, hatte Paulinus das Anfangs in Linie aufgestellte Fussvolk en échelon zurückgenommen etc.

[2]) Nissen, Rheinisches Museum Bd. 26 pg. 523.

[3]) Dio 58, 9. Plinius H. N. V, 1.

Atque consilium audaciae plenum erat, cum in Britannia bellum gerens inde Monam insulam aggrederetur.[1])

Quo iure autem Tacitus quod secundo loco ad defensionem Paulini affert, id tantummodo commemorare potuerit, animo non comprehendo. Nam Paulinum et Celsum consilia cepisse, ut Vitellianos strage ac ruina funderent, supra demonstravimus. Haec autem consilia fuisse incauta et inconsulta quis est qui contendat?

Utut res se habet, non dubitandum est, quin per Suetonium Paulinum steterit, quominus Vitelliani devincerentur et conciderentur.[2])

Atque hoc proelium propterea maximi momenti fuit, quod eo, ut opinor, effectum est, ut Otho ad Titianum fratrem et Proculum praetorii praefectum summam imperii deferret. Hoc enim loco Plutarchi narrationem sequor (Oth. c. 7). Contra Tacitus (II, 23) iam post rem a gladiatoribus Marcio Macro duce bene gestam ab imperatore imperii summam ad Titianum delatam esse tradit.

Quomodo autem Proculus, quem Betriaci (II, 33), cum de belli gerendi ratione consilium iniretur, fuisse audimus, illuc pervenerit, Tacitus non commemorat.

Ex quo perspicuum est, Plutarchum rem diligentius narrasse quam Tacitum.

Sed tamen fere omnes viri docti Tacito fidem habent.

Atque primum quidem Ritter Tacitum ita defendit, ut dicat, Tacitum pugnam levis momenti propterea copiosius exposuisse, quod ea effectum esset, ut summa imperii ad Titianum disciplinae militaris imperitum delata esset.[3]) Quem

---

[1]) Tac. Ann. XIV c. 29 sq. Agricola c. 14 sq. Dio 60, c. 7 – 12.

[2]) Hoc ex Plutarcho c. 7 dilucide apparet: *νυνὶ δὲ ὁ Παυλῖνος ὀψὲ καὶ σχολῇ προσβοηθήσας αἰτίαν ἔσχεν ἐνδεέστερον τῆς δόξης στρατηγῆσαι δι' εὐλάβειαν.*

[3]) Ritter, Philologus Bd. 21 pg. 652: Das an sich wenig bedeutende Unternehmen des Marcius Macer wird von Tac. nicht ohne Absicht ausführlich dargestellt, weil dadurch eine Aenderung im Oberbefehle herbeigeführt und an die Stelle der drei ersten Feldherren jener Zeit der unwissende Salvius Titianus der Bruder Othos von dem kurzsichtigen Kaiser

auctorem Heraeus sequitur. Quae vero argumenta Ritter et Heraeus ad sententiam confirmandam afferunt, nemini fidem facient.

Heraeus argumentum ex interpretatione „vincentium“ (T. II, 23: sed repressus vincentium impetus, ne novis subsidiis firmati hostes fortunam proelii mutarent) petit, quod non modo ad gladiatores, sed etiam ad ceteros milites Othonis referendum esse putat;[1]) putat igitur, non modo gladiatores, sed etiam milites Betriaci considentes cum hostibus esse congressos esse.

Simili modo Ritter.[2]) Contendit enim, gladiatores parta victoria ab ducibus totius exercitus esse revocatos atque hanc ob rem Suetonium, Celsum, Gallum criminationibus incessisse.

Statuit igitur, gladiatores non suo consilio, sed iussu ducum Suetonii, Celsi, Galli cum hostibus proelium fecisse.

Krauss autem, qui postremus, quod sciam, de hac re disseruit, mediam secutus est viam dissensionem, quae inter Tacitum et Plutarchum exstat, ita explicans, ut dicat, cum Othonem post rem ab gladiatoribus bene gestam secum considerasse, nonne alium ducem copiis praeficeret, tum novum ducem ab imperatore non prius missum esse, quam ad Castorum pugnatum esset.[3])

gesetzt wurde, was bald die weitere Folge hatte, dass die Othonianer von den Vitellianern auf's Haupt geschlagen wurden.

[1]) In commentario ad hist. libr. II, 23 pg. 156 vincentium ganz allgemein: der Othonianer, die eben siegreich d. i. im siegen begriffen waren, nicht bloss der Gladiatoren.

[2]) In commentario ad hist. libr. pg. 122. Nam Màrcius Marcer . . . cum particulam exercitus navibus transvectam in adversam Padi ripam effudisset ac parta victoria ab ducibus totius exercitus revocatus esset, victores ceterique Othoniani suspicione tacti non Marcium Macrum aliorum iussis obnoxium, sed duces qui iusserant criminationibus incessiverunt.

[3]) Krauss l. l. pg. 14. Haec quae videtur dissensio ita explicatur ut Tacitus . . . causam afferat, qua primo Otho adductus suspicionem habere coeperit de ducibus bellum trahentibus et nonne alium ducem . . praeponeret bello secum consideraverit. Sed novum imperatorem non ante missum, quam res ad Castorum gesta esset, ipse Tacitus docet h. 2, 24: interea Paulini et Celsi ductu res egregie gestae.

Habes sententias virorum doctorum de hac re. Ego quidem, ut iam supra dixi, Plutarcho assentior.

Neque enim ulla causa erat, cur Otho post pugnam a gladiatoribus feliciter commissam ad Titianum fratrem summam imperii deferret aut saltem id faciendi consilium caperet.

Argumentis autem, quae Ritter et Heraeus attulerunt, primum obstat Taciti narratio ipsa, in qua nihil aliud traditur nisi a gladiatoribus prospere pugnatum esse. Praeterea, cum gladiatores in aliis proeliis separatim cum hostibus conflixisse[1]) traditum sit, nobis colligendum est, eos quoque primam pugnam solos commisisse.

Sed longius procedam. Contendo enim, quo tempore gladiatores primo cum hostibus manus conseruerunt, Suetonium Paulinum et Marium Celsum nondum Betriaci fuisse. Iam supra demonstravi[2]) Annium Gallum cum Spurinna ad occupandas Padi ripas praetermissum esse. Quorum cum copiis gladiatores coniuncti erant.[3]) Deinde eos solos in loco ad dextram Padi ripam sito consedisse audimus. Pro certo igitur habendum est, Gallum copias suas in partes tres divisisse. Una cum parte Spurinna, ut Placentiam defenderet, missus est; quo altera cum parte Gallus profectus sit, nescimus — tantum scimus, eum ad septentriones vel ad orientem iter fecisse[4])—; tertia pars erant gladiatores, quos in dextra Padi ripa infra ostium Aduae vel potius infra Cremonam castra posuisse existimamus.

Initio autem belli res rem ita excepisse videtur. Caecina Placentia frustra oppugnata Cremonam petebat: Gallus, quippe qui Placentiae auxilium laturus esset, certior factus Caecinam et pulsum esse et Cremonam pergere, Betriaci castra posuit. Isdem diebus, ut Taciti verbis utar, quibus Gallus primum ad Placentiam profectus erat, ut Caecinam adiuvaret,

[1]) cf. Tac. II, 34 sq. Plut. Oth. 10.

[2]) pg. 7.

[3]) Tac. II, 11.

[4]) De Galli itinere conferas Mommsenii commentationem. Hermes V pg. 163.

tum Betriaci exercitum castris continebat, isdem diebus Marcius Macer prospere pugnavit cum Caecinae auxiliis, quae ab illo, ut fieri solet, aut statim Cremona occupata aut paulo ante ad situm locorum cognoscendum esse missa verisimillimum est. Hoc autem tempore Suetonius Paulinus et Marius Celsus Betriaci fuisse nondum possunt. Sequitur, ut milites eos insimulare non potuerint.

Atque Taciti verba II, 23 „suspectum id Othonianis“ usque ad finem capitis mihi alio loco intellegi non posse videntur nisi post caput II, 26 i. e. post pugnam ad Castorum commissam. Nam post hoc proelium, quod cunctatione Suetonii Paulini ad irritum cecidisse iam supra demonstavimus [1]), milites huius rei culpam non sine causa ducibus tribuere poterant.

Quamquam Annium Gallum pugnae adfuisse non audimus, tamen Betriaci erat atque milites, qui commoti et concitati non tales sunt, qui nocentem et innocentem ducem discernant, eo facilius Gallum ipsum accusare poterant, quod ei iam antea succensebant (Tac. II, 23.) Plutarchus igitur ordinem rerum obtinuit, mutavit Tacitus. [2])

Venimus nunc ad aliam eamque gravissimam quaestionem de interpretatione horum verborum Taciti (II, 40): *Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti confluentes Padi et Aduae fluminum sedecim inde milium spatio distantes petebant. Celso et Paulino abnuentibus militem itinere fessum, sarcinis gravem obicere hosti non omissuro, quo minus expeditus et vix quattuor milia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes aggrederetur, Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant.*

---

[1]) pg. 11.

[2]) Plutarchi narrationem esse rectam Nissen quoque putat. Dicit enim l. l. pg. 520. Daraufhin (nach der Schlacht am Castortempel) entschloss sich Otho das Oberkommando zu wechseln und stellte seinen Bruder Titian als nominellen, den praetorischen Praefecten Licinius Proculus als factischen Befehlshaber an die Spitze. So Plutarch Oth. 7, 4. Tacitus mildert die Darstellung, indem er schon c. 23 den Commandowechsel mit wenig Worten gedenkt.

Quae ut interpretarentur, operam multam multi viri et ii docti posuerunt.

Alteri autem existimant Taciti verba esse corrupta, alteri Tacitum errasse.

His duabus rationibus difficultatem tollere student; ut Nipperdey nomina „Padi et Aduae“ ab „fluminum“ discernit; Mommsen [1]) et Peter [2]), qui diligenter in hac re versati sunt, errorem scriptoris statuunt.

Mommsenii sententiam paululum mutans Heraeus sequitur contenditque duces Othonianos, quo die castra ad quartum a Betriaco posita moverent, non usque ad viam, quae Cremona Brixiam ducit, profecturos esse, sed in via Postumia usque ad quartum a Cremona progressuros esse. [3])

Quibus sententiis, quamquam a vero non plane abhorrent, neque tamen assentior, sed viam ipsam, quam Krauss [4]) aperuit, ingrediar atqui alio modo et progredi et assequi propositum studebo.

Neque enim errorem, sed obscuritatem Taciti Krauss statuit atque primum cum iis pugnat, qui vocabulum inde ad Betriacum referunt, et contendit „inde ad participium pro-

---

[1]) Hermes V pg. 167 rem ita exposuit: Die 16 Milien des Tacitus lassen sich füglich auf das beabsichtigte Ziel des Tagemarsches beziehen ... et extrema disputatione: Somit ist das, was Tacitus angiebt, nicht so sehr an sich falsch, am wenigsten auf Abschreiberversehn zurückzuführen, als an den falschen Ort gestellt; er hat das letzte militärische Marschobject mit dem Ziele des Tagemarsches verwechselt.

[2]) l. l. pg. 29. Es scheint also nichts übrig zu bleiben, wenn der Text des Tacitus richtig ist, als dass Tacitus durch einen Irrthum oder eine Ungenauigkeit, indem er den Zusammenfluss der Adda und des Po sich als ganz nahe bei Cremona dachte, diesen Punkt der Abwechselung wegen statt Cremonas selbst als den Zielpunkt des Marsches der Othonianer genannt habe.

[3]) l. l. pg. 172: Zunächst hatte man wohl die Absicht — und hierin weicht unsere Auffassung der Stelle von Mommsens Ansicht ab — an jenem Tage auf der Postuminischen Strasse bis zu einem 1 röm. M. von Cremona entfernten Punkt vorzurücken, worauf man vielleicht zur Besetzung der Heerstrasse von Cremona nach Brescia übergegangen wäre, um den Feind von seinen Communicationen mit dem Norden abzuschneiden etc.

[4]) l. l. pg. 16, 17.

fecti paulo ante collocatum referendum esse et eum locum significari, quo tum advenerat exercitus cum de itinere consultaretur, utrum longius procederet, an ibi maneret et castra poneret."

Non assentior. Nam „inde" non ad participium „profecti", sed ad vocabulum „confluentes" esse referendum mihi videor.

„Inde" enim ab participio „profecti" longius abest: praeterea post „profecti" interpunctionem esse ponendam puto.

Age vero videte, quomodo mihi verba Taciti esse interpretanda et explananda videantur.

Ac primum quidem scimus, Betriaci Othone imperatore praesente consilium de ratione belli gerendi initum constitutumque esse „decertare"[1]).

Tum vero animo tenendum est, nonnullos duces, imprimis Suetonium Paulinum et Marium Celsum, pugnam esse differendam censuisse, quam obrem non sine causa colligi potest, eosdem duces profecto Othone Brixellum, praesertim cum ab eo imperia ducum in incerto relicta essent, in sententia sua perseverasse atque enixos esse et contendisse, ut pugna differretur.

Duces autem, qui studebant proelium committere, Titianus et Proculus erant.

Quibus in animo fuisse videtur, primum ad hostes propius accedere, tum castra ponere atque munire, post inde cum hostibus manus conserere.

Titianum autem et Proculum eo consilio Betriaco profectos esse, ut proelium committerent, ex eo quoque colligi potest, quod in castris ad quartum a Betriaco positis de proelio dubitatum est.

Sed ad rerum ordinem redeo. Castra ad quartum a Betriaco posita sunt et hoc loco consilium novum initum est.

Atque Suetonium Paulinum et Marium Celsum rationibus demonstravisse mihi videor optimum esse confluentes Padi et Aduae petere. Quorum ad sententiam Titianus et Proculus,

[1]) Tac. II. 32. 33. Plut. Oth. c. 9.

cum in contrarias partes disserere non possent, accesserunt, quamquam Otho per litteras flagitabat, ut duces rem in discrimen mitterent.

Intellegis igitur Tacitum nunc recte dicere potuisse: „non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti," quae verba non satis explicarentur, si iam Betriaci constitutum esset Padi et Aduae confluentes petere.[1])

Consilium inierant duces, sed quo loco via Postumia decederent, ut viam, quae Cremona Brixiam ducit, attingerent, de hac re eos dissensisse existimo.

Titianus enim et Proculus consilium cepisse videntur, proxime — i. e. fere quattuor milia[2]) — ad Cremonam accedere, ut hoc modo celerius ad confluentes pervenirent.[3])

Fortasse putaveris, Titianum et Proculum, qui modo inviti et rationibus Paulini Celsique victi ad Aduae ostium profecti essent, nulla alia causa commotos esse, ut fere ad moenia Cremonae progressuri essent, nisi ut hac re hostes ad proelium provocarent.

Contra Suetonius Paulinus et Marius Celsus eum locum petivisse videntur, unde non timentes, ne hostes in latus incurrerent, viam Cremona Brixiam ducentem attingere possent.

Quum autem duces in itinere ad eum locum venissent, qui non amplius quam sedecim milia passuum a confluentibus Padi et Aduae (recta via) aberat quemque Paulinus et Celsus maxime idoneum ducebant, ut inde ad viam, quae inter Cremonam et Brixiam erat, exercitum ducerent, denuo deliberatum est.[4])

[1]) Hac re quoque demonstrari potest, Betriaci esse constitutum proelium committere: quam sententiam iam supra protuli.

[2]) Haec quoque sententia Heraei est cf. pg. 15 adn. 3.

[3]) Neque tamen Kraussio assentior, qui l. l. pg. 48 dicit: Nec est, quod addubitemus, quin Titianus id egerit, ut uno die ad confluentes perveniret.

[4]) Krauss pg. 47 rem ita exposuit: Sed in itinere cum iam profecti ab eo loco, quem petebant, non amplius quam sedecim milia passuum abessent i. e. ad decimum fere a Cremona lapidem, Celsus et Paulinus non longius procedere, sed eo loco vel etiam paulo propius a Cremona consistere censuerunt. Vides, quo modo a Kraussio dissentiam.

Nam Paulinus et Celsus, ne longius procederent, recusabant et explicabant, quam periculosum ac perniciosum Titiani et Proculi consilium esset.

Titianus autem et Proculus, cum eorum sententiam rationibus refellere non possent, imperabant, ut castra promoverentur, quod ut facerent, etiam ab Othone impulsi sunt, qui sane Numidam equitem miserat.[1]) Puto quoque Othonem certiorem factum de consilio in catris ad quartum a Betriaco capto hunc equitem misisse atque adeo a Titiano et Proculo, quos in consiliis inferiores esse audimus, stimulatum esse, ut per nuntium flagitaret, ut res in discrimen adduceretur.

Sed aliud restat. Quaeramus nunc, num causae exstent, quibus demonstrari possit, quare loco ipso sedecim milia passuum ab confluentibus Padi et Aduae distante Suetonius Paulinus et Marius Celsus via Postumia decessuri et in viam Cremona Brixiam ducentem profecturi sint.

Intuere chartam Galliae transpadanae,[2]) invenies fluvium[3]) fere novem milia passuum a confluentisus Padi et et Aduae viam Postumiam scindere. Qui fluvius originem habet prope ad viam, quae inter Cremonam et Brixiam est. Iam intellegis, Paulinum et Celsum tutius ab impetu hostium iter facere non potuisse quam secundum fluvium.

Sed hic quaerat quispiam, cur Tacitus duces confluentes Padi et Aduae petituros esse tum tradiderit, cum inde sedecim milia passuum abessent, praesertim cum iam in castris ad quartum a Betriaco positis confluentes petere consilium initum esset.

Habes obscuritatem Taciti, quae mihi ita esse orta videtur.

---

[1]) Taciti verba huc referenda haec sunt II, 40: Celso et Paulino abnuentibus militem itinere fessum . . . obicere hosti . . . . Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius transibant. aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat.

[2]) Conferas chartam a Kieperto in corp. inscript. lat. V, 2 lineatam.

[3]) Nomen huius fluvii Delmona est: cf. Carta Topografica de Regno Lombardo — Veneto C. 6. 1833.

Tacitus enim rem in breve contraxit.

Itaque non seorsum tradidit, duces cum constituisse confluentes Padi et Aduae petere, tum dissensisse de loco, quo via Postumia decederent.

Cuius maxime intererat diligenter notare eum locum, quo Titiano et Proculo auctoribus postremo consilium maximi momenti ad eventum belli captum esset. Tum vero cum hoc nuntio coniunxit alterum, duces confluentes Padi et Aduae petituros esse. Sed haec hactenus.

Finem harum de Othone quaestionum ita faciam, ut nonnullos locos afferam, quibus dilucide demonstrari putem Tacitum in Othonem infestum fuisse.

Atque Nissen[1]) primus contendit Tacitum de Othone multo iniquiore animo existimasse quam qui ante eum scripserunt.

Quod quamquam Beckurts concedit, tamen eos res gestas male enarrasse existimat.[2])

Mihi autem Tacitus in describendo Othone eandem fere viam esse ingressus videtur quam postea in rebus gestis Tiberii enarrandis.

Quae enim benificia Otho et in singulos homines et in rem publicam universam contulit, ea partim simulata partim metu orta esse dicuntur. Alio autem modo Tacitus de Vitellio existimat; qui si contulit beneficia in aliquos, ab Tacito laudatur, sin autem probra fecit, excusatur.[3])

Credidit enim Tacitus, in Othone viro, — quem „per decem annos moderatione atque abstinentia singulari“[4]) Lusi-

---

[1]) l. 1 pg. 516. Als leitenden Gedanken für die Partie, welche durch die plutarchischen Biographien controlirt wird, kann man angeben, dass Tacitus den Otho weit ungünstiger beurtheilt hat als seine Vorgänger.

[2]) l. l. pg. 48. Diese vortheilhaftere — aber entschieden falsche — Darstellung war nicht duurch politische Tendenz beeinflusst, sondern repräsentirte die Auffassung, die sich bei vielen Zeitgenossen über Otho in Folge seines freiwilligen Todes gebildet hatte.

[3]) cf. Beckurts. l. l. pg. 32. Ueberall tritt bei Tacitus das Bestreben hervor auch die guten Seiten des Vitellius in das richtige Licht zu stellen, et pg. 25 adn. 1. Den Antheil des Tacitus an der Person des Vitellius fühlt man deutlich heraus.

[4]) Suet. Oth. c. 4.

taniam provinciam administrasse memoria non tenuit — eosdem mores esse, ad quos iuvenis et luxu et moribus dissolutis imperatoris Neronis illectus erat.

Sed iam exemplis utar. Scriptum videmus apud Tacitum I, 71: Otho interim contra spem omnium non deliciis neque desidia torpescere dilatae voluptates, dissimulata luxuria et cuncta ad decorem imperii composita; eoque plus formidinis adferebant falsae virtutes et vitia reditura. Tradit tum eodem capite, Othonem, cum Mario Celso non modo ignosceret, sed etiam eum amicum sibi adiungeret, nihil aliud petivisse nisi clementiae titulum.

Atque notandi sunt hic duo loci, quibus Otho cum Vitellio comparatur.

Legimus apud Tacitum II, 31: minus Vitellii ignavae voluptates quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur . . . .: Vitellius ventre et gula sibi inhonestus, Otho luxu saevitia audacia rei publicae exitiosior ducebatur.

Quae autem flagrantissimae illae libidines fuerint, non audimus; quibus rebus populus commotus sit, ut saevitiam Othonis timeret, non traditur.

Plutarchus[1]) narrat, Othonem matris et uxoris Vitellii patrocinium suscepisse; Tacitus autem cum memoret, Othonem Vitellii necessariis nullam iniuriam fecisse, tum huius rei causam his verbis addit I, 75: Vitellius litteras ad Tatianum fratrem Othonis composuit, exitium ipsi filioque eius minitans, ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur et stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor clementiae gloriam tulit. Intellegis igitur, Vitellium laudari, Othonis autem clementiam in dubium vocari. Quo iure? nam multo antequam Vitellii epistolae ex Germania inferiore ad Titianum advenissent, Otho necessarios eius interficere potuit.

De initio Othonis imperii Tacitus I, 46 tradit: omnia deinde arbitrio militum acta: praetorii praefectos sibi ipsi legere. Tum autem audimus, Galba imperatore alterum praefectum Plotium Firmum Othonis partes iam secutum esse.

---

[1]) Oth. c. 5 *ἰσχυρῶς δὲ καὶ μητρὸς ἐπεμελήθη τοῦ Οὐιτελλίου καὶ τῆς γυναικὸς ὅπως μης ἐν φοβήσονται περὶ ἑαυτῶν.*

alterum Licinium Proculum versatum esse in „intima familiaritate" Othonis. Othonis igitur amicissimi nescio quo pacto iidem militum fuisse videntur. Quos viros duos ab Othone praetorianis primum designatos, tum ab iis lectos esse contendo atque puto Tacitum verba „omnia deinde arbitrio militum acta" non scripsisse, nisi in Othonem infestus fuisset et oratorii ornamenti genus sectatus esset.[1])

Denique mihi notabile videtur esse quod capite II, 95 continetur. Dicit enim Tacitus: et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat. Tum tradit: at misera civitas e o d e m a n n o Othonem Vitellium passa inter Vinios Fabios Icelos Asiaticos varia et pudenda sorte agebat.

Intellegis, uno tenore Othonem Vitellium et eos viros, qui sub Galba[2]) et Vitellio maximo malo erant reipublicae, commemorari.

Quicunque igitur res Othonis gestas non diligenter persecuti sunt, existiment necesse est, — praesertim cum notum sit, Galbam vel dicam familiares eius tantummodo usque ad diem 15. Januarii rempublicam administravisse, — Othonem quoque familiaribus postestatem permisisse.

At mihi Otho multo praestantior quam Galba et Vitellius ob id ipsum fuisse videtur, quod ipse, non Vinii Fabii, Iceli Asiatici rempublicam administrabant.

---

[1]) Affero alterum locum, ex quo intellegi maxime potest, Tacitum propterea a vero deflexisse, quod oratorii ornamenti genus sectatus esset, Legimus enim II, 17: Aperuerat iam Italiam bellum, quod transmiserat . . . ala Siliana nullo apud quemquam Othonis favore, n e c q u i a V i t e l l i u m m a l l e n t, sed longa pax ad omne servitium fregerat faciles occupantibus et melioribus incuriosos. Huic loco ex omni parte repugnat, quod Tacitus de ala Siliana I, 70 tradidit. Dicit enim, Silianos defecisse ab Othone et transisse in Vitellii partes, quod cum Othonis ignari, tum V i t e l l i o, sub quo proconsule in Africa stipendia fecerant, o b s t r i c t i e r a n t.

[2]) Galbae familares erant Vinius (Tac. h. I, 6: 12: 13: 37: 42: 48. Plut. Galb. c. 4 sq. Suet. Galb. c. 14) et Icelus (Tac. I, 13: 33; 37: 46. Plut. Galb. c. 7. 20; Suet. Galb. 14: 20).

II.

De Vitellio.

Est apud Suetonium in vita Vitellii c. 4: A. Vitellius L. filius Imperator natus est VIII Kl. Oct. vel ut quidam VII Id. Sept. Druso Caesare, Norbano Flacco cons.

Ex quo intellegitur, cum dissensisse auctores de Vitellii die natali, tum Suetonium die 24 Sept. natum esse imperatorem putasse.

Neque vero Cassius Dio non sumpsit, die 24 Sept. Vitellii diem natalem fuisse.

Qui dies quamquam a Cassio Dione non nominatur, tamen ratione facile effici potest. Scriptum enim apud Dionem legimus (65, 22) Vitellium quinquaginta quattuor annos et octoginta novem dies vixisse. Necatus est Vitellius die 22. Dec. [1])

Quodsi de hoc die octoginta novem dies deducimes, diem 24 Sept. [2]) accipimus.

---

[1]) Dicit enim Dio 65, c. 22. Vitellium „*ἐνιαυτὸν ἡμερῶν δέκα ἀποδέοντα*“ regnasse. Imperator autem Coloniae Agrippinae salutatus est die 2. Jan. (Tac. I, 57). Quod si de hoc die decem deducimus, accipimus diem 22 Dec. Huc accedit, quod apud Josephum bell. Jud. IV, 11. 4 scriptum videmus, Vitellium octo menses et dies quinque imperasse. Otho autem, ut supra demonstravimus, die 17 April mortem sibi conscivit. Quem ad diem si octo menses et dies quinque addimus, eundem diem 22 Dec. accipimus. Tillemont l. l. pg. 622 Not. 4 incertus est, utrum Vitellius die 20 Dec. an duobus vel tribus diebus post mortuus sit. Merivale l. l. pg. 469 Vitellium die 21 Dec. trucidatum esse statuit: Peter l. l. pg. 49, utrum Vitellius die 21 an 22 Dec. interemptus sit, dubius est. Vehementer autem Beckurts l. l. pg. 64 adn. 3 errat, cum ostendere conetur., Vitellium die 17 Dec. interfectum esse; qui error eo factus est, quod XV Kalendas Januarias (Tac. h. III, 67) diem 15 Dec. esse putaret.

[2]) Hic dies eo efficitur, quod scriptores antiqui, ut Suetonius et Cassius Dio, diem natalem non diem primum anni novi esse existimabant. Sextus igitur et quinquagesimus Vitellii aetatis annus incipit die 25 Sept.,

Atque etiam quicunque Vitellii res gestas perscripserunt, quin Vitellius die 24 Sept. nasceretur, non dubitavernnt.

Hoc loco oritur quaestio, utrum Suetonius et Cassius Dio et ii viri docti, qui eos secuti sunt, in errore versati sint necne.

Contendo horum neminem esse qui non erraverit; nam planum faciam, fieri non posse, ut Vitellii natalis die 24 Sept. fuerit.

Quo demonstrato nihil aliud restat nisi ut Vitellium die 7 Sept. in lucem editum esse ponamus.

Ad id autem, quod proposuimus, comprobandum singulas res inter Vitellianos et Flavianos gestas in singulos dies distribuamus necesse est.

Quaestionem meam ita instituam, ut incipiam a die, quo Vitelliani cum Flavianis apud Betriacum decertaverunt. Haec pugna vel diebus 26/27 Oct. [1]) vel 28/29 Oct. [2]) commissa est.

Quamquam in medio relinquo eos dies, quibus pugnatum est, tamen hoc loco dies 28/29 Oct. sumo, quod quaestioni meae iniquissimi sunt.

Atque primum quidem quo fere die Caecina dux Vitellii imperatorem suum prodiderit, computemus.

D. 28/29 Oct. pugna apud Betriacum, quae commissa est postridie quam Antonius Primus „universo cum exercitu secundis a Verona castris (26, 27 Oct). Betriacum“ venerat

---

non die 24 Sept. Sed exemplis utar. Imperatorem Augustum die 23 Sept. natum et die 19 Augusti esse mortuum traditum est (Suet. vit. Aug. c. 5, 100: Cassius Dio 56, 30, 5). Praeterea apud Suetonium legimus (c. 100) Augustum septuagesimo sexto aetatis anno, diebus V et XXX minus mortuum esse. Qui numerus dierum V et XXX effici non potest nisi ita ut diem 23 Sept. non diem primum septuagesimi septimi anni, sed ultimum septuagesimi sexti anni diem putamus: nam mense Augusti dies duodecim Augustus non vixit; huc adde viginti tres dies Septembris. Dio Augustum septuaginta quinque annos, decem menses, viginti sex dies vixisse tradidit. Qui dies viginti sex ita efficiuntur, ut imperatorem mense Sept. non octo (23—30), sed septem dies (24 — 30) et mense Augusti undeviginti dies vixisse ponamus.

[1]) Tillemont l. l. pg. 622 Not. III.

[2]) Nissen, Rhein. Museum Bd. 26 pg. 540.

(Tac. h. III, 15). Primus autem Verona profectus erat, ubi certior factus est, cum Caecinam, qui milites impelleret, ut a Vitellio deficerent, in castris ad Tartarum positis (Tac. III, 9) vinctum esse, tum legiones Vitellianas castris relictis Hostiliam, inde Cremonam iter fecisse.

Qua de re Primum die 25 Oct. doctum esse iure contendere mihi videor: nam post hunc diem de proditione Caecinae certior fieri non potuit, quia et iter apparandum et militibus prima luce dici 26 Oct. Verona propterea proficiscendum erat, quod haec urbs a Betriaco longius quadraginta milium passuum via abest.

Itaque statuimus Caecinam die 24 Oct. milites permovere, ut in verba Vespasiani iurarent, conatum esse.

Quot autem dies intersint inter illam Caecinae proditionem et eum diem, quo Caecina cum Lucilio Basso, Ravennati classi praeposito, secretum Patavii colloquium habuerit (Tac. II, 100), nunc mihi inquirenti constare videtur. Caecinam et Bassum tum convenisse, cum Antonius Primus nondum prope Patavium adesset, sed ad Aquileiam castra posuisset. Hoc quoque ex Tacito h. III, 6 ostendi potest. Legimus enim, Antonium Primum Altini, quae urbs abest ab Aquileia sexaginta quinque fere milia passuum, praesidium reliquisse, cum classem Ravennatem a Vitellio defecisse nondum audivisset.

Recte igitur conicere possumus, vel eodem die vel die antequam Primus Altini castra posuerat, classem defecisse et in partes Vespasiani transisse. Quin autem duobus vel tribus diebus ante defectionem classis Caecina et Bassus Patavium convenerint quis est qui dubitet? Nam nobis quoque cogitandum est, Basso primum Patavio ad classem redeundum, tum militum animos ad proditionem inclinandos esse.

Ex quo intellegitur, duobus vel quattuor diebus antequam Primus Altinum venerat, „Patavi secretum componendae proditionis“ (Tac. II, 100) fuisse, quo tempore Primum ad Aquileiam castra posuisse verisimile est.

Sed quid attinet hoc? nihil si reperire non possumus, quam multi dies necessarii fuerint, ut Antonius Primus Altino Veronam perveniret et inde Betriacum proficisceretur.

Atque primum quidem Primus Altino Patavium venit, quae urbes absunt fere triginta milia passuum. Eodem tempore Ateste in partes Vespasiani transiit, ubi Primus certior factus est, cohortes Vitellianas ad Forum Alieni castra posuisse. Postridie luce prima a Flavianis illae cohortes oppressae sunt.

Neque vero nos erraturos esse spero, si tres dies illis rebus expletos esse existimamus.

Deinde Patavi et militibus pauci dies ad quietem dati sunt et consilium initum est de eo loco, qui ad bellum gerendum maxime idoneus esset. Paucos dies aequo duobus diebus. Atque Verona belli gerendi locus legebatur, quo milites pervenisse non possunt nisi secundis castris. Veri similius autem videtur mihi milites tres dies incedisse; nam iis via plus quam sexaginta milium passuum conficienda erat. Huc accedit quod Antonius celerius propterea castra movere non potuit, quod ceterae legiones exspectandae erant.

Verona occupata ab Antonio Primo cum hostium stationibus aequo Marte pugnatum est, quo proelio factum est, ut Caecina inter Hostiliam et paludes Tartari fluminis castra permuniret; deinde et Caecina et Primus alternis epistulis nequiquam studebant alter alterum, ut in suas partes transiret, permovere. [1])

Primus cum copiae adventu trium legionum auctae essent, „ostentare milites et militari vallo Veronam circumdare“ (Tac. III, 10) constituit.

Sed milites duobus continuis diebus seditionem fecerunt et detrectaverunt imperium Tampii Flaviani, Aponii Saturnini ducum consularium.

Atque etiam in castris Vitellianorum tumultus ortus erat. Caecina enim, cum animos militum ad defectionem sollicitare studeret et iam nonnullos commovisset, ut iurarent in Vespasiani verba, a ceteris, qui Vitellio fidem servaverant,

[1]) Tac. hist. III, 6—10.

vinculis constrictus est. Cuius rei certior factus Antonius Primus castra movit. [1])

His autem rebus quinque dies expletos esse nemo est qui neget.

Iam vero res singulas in singulos dies distribuere possumus.

d. 24, 23 Oct. tumultus militum Flavianorum.

d. 22, 21 Oct. litterarum inter Primum et Caecinam consuetudo.

d. 20 Oct. pugna Flavianorum cum hostium stationibus.

d. 19 Oct. Primus Veronam venit.

d. 17 Oct. Primus Patavio profectus est.

d. 16, 15 Oct. militibus Patavi ad quietem dati sunt.

d. 14 Oct. cohortes Vitellianorum ad Forum Alieni oppressae sunt.

d. 13 Oct. Ateste Primus certior factus est, cohortes hostium ad Forum Alieni castra posuisse.

d. 12 Oct. Primus Altino Patavium castra movit.

d. 12 vel 11 Oct. classis Basso duce in partes Vespasiani transiit.

d. 10 vel 9 Oct. Caecina et Bassus Patavium convenerunt.

Intellegis igitur, inter defectionem classis et Caecinae proditionem duodecim vel tredecim dies intercedere, quod quicunque res gestas Vitellii usque ad hunc diem diligentissime persecuti sunt, ut opinor, non coniecerint.

Atque Tacitus ipse id quod ostendi refellere videtur. Legimus enim (h. III, 13): At Caecina defectione classis vulgata primores centurionum et paucos militum, ceteris per militiae munia dispersis, secretum castrorum adfectans in principia vocat etc. Praeterea est apud Tacitum III, 36: Atque illum (Vitellium) in nemore Aricino desidem et macentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit, nec multo post de Caecina adfertur mixtus gaudio dolor, et descivisse et ab exercitu vinctum.

---

[1]) Tac. hist. III, 10—15.

Quibus locis facile aliquis adduci potest, ut proditionem Caecinae paucis diebus post defectionem classis fuisse credat.

Sed ad id refutandum idem Tacitus mihi adest. Valens enim paucis diebus post Caecinam ad bellum profectus erat et segniter incedebat (Tac. h. III, 36—40). In itinere nuntium accepit classem defecisse. Quo loco de classis defectione doctus sit Valens, nescimus; colligi autem potest ex Tacito III, 40, 41 Valentem tum aut iam montes Apenninos transgressum aut transgressurum esse.

Defectione audita Valens in contrarias sententias distrahitur et quid faciat diu incertus est (III, 49); deinde litteras ad Vitellium mittit et auxilium petit. Cum autem tres cohortes et ala Britannica venissent, his copiis effici nihil posse apparuit. Quo tempore Valentem de Caecinae proditione nondum certiorem factum esse videtur mihi verisimillimum esse. [1])

Quot autem dies, ut Valens de classis defectione doceretur, deinde „inutili cunctatione agendi tempora consultando" (Tac. III, 40) consumeret, tum litteras Romam mitteret, denique ut cohortes, quibus via longa conficienda erat, advenirent, necessarii fuerint mihi perpendenti nemo non concedet, his rebus minimum decem dies expletos esse.

Qua ratione, quod supra demonstravi duodecim vel tredecim dies interfuisse inter defectionem classis et Caecinae proditionem, confirmatur.

Sed redeamus ad diem 10 vel 9 Oct., quo Caecinam et Bassum Patavium convenisse statuimus. Eodem autem die legiones Vitellianas ad Hostiliam iam castra posuisse nemo negabit, praesertim cum ostendere studuerim cohortes Vitellianas iam die 13 Oct. ad Forum Alieni consedisse, quas illuc non prius missas esse quam legiones Hostiliam advenissent, apertum est.

Quoniam quo fere die Vitelliani Hostiliam pervenerint, scimus, nunc et redeamus ad eum diem, qui Vitellii natalis

---

[1]) Contendo enim, si Valens iam audivisset Caecinam vinctum et legiones Vitellianas Cremonam profectas esse, futurum non fuisse, ut cohortes Ariminum praetermitteret (Tac. III, 41).

falso nominatur, et quo die Caecina Roma profectus sit, computemus.

Diebus 24/25 Sept.[1]) „natalem Vitellii diem Caecina ac Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere ingenti paratu et ante illum diem insolito" (Tac. II, 95). Ex quo colligo Vitellium tum necdum accepisse nuntium, legiones Moesicas in Vespasiani verba iurasse. Cum autem paulo post legionem tertiam defecisse et hostes in Italiam profectos esse nuntiatum esset, a Vitellio et bellum comparatum et missus est in hostes Caecina (Tac. II, 96—100).

Itaque in errore non versari mihi videor, cum contendam fieri non potuisse ut Caecina ante Kalendas Octobres Roma proficisceretur.[2])

Hic contradixeris quispiam! Sed iam adest alterum argumentum ad sententiam quam protuli confirmandam.

Tacitus enim tum, cum Caecina Roma discessit, Valentem e gravi corporis morbo primum assurrexisse tradidit (II, 99). Neque vero d. 24/25 Sept. morbo affectus erat Valens, qui quidem cum Caecina natalem imperatoris diem ageret. Atque etiam Valentem in morbum propterea incidisse, quod natali Vitellii die in luxuriam intemperantiamque effunderetur, veri simile est. Quattuor autem vel quinque dies, ut quis e gravi corporis morbo ita recreetur, ut adsurgat, necessarios esse mihi perspicuum esse videtur. Caecinam igitur non ante Kalendas Octobres Roma profectum esse ex hoc quoque intellegi maxime potest.

Quoniam iam die 10 vel 11 Oct. Vitellianos ad Hostiliam castra posuisse supra demonstravimus, existimemus necesse est — si diem 24 Sept. Vitellii natalem habemus —

[1]) Vitellii natalem per dies duos actum esse Cassius Dio 65, 4, 3 docet: καὶ τὰ γενέθλια αὐτοῦ ἐπὶ δύο ἡμέρας ἑωρτάζετο κ. τ. λ.

[2]) Beckurts eandem sententiam profert. Dicit enim l. l. pg. 63 adn. 7. Der Auszug des Caecina erfolgte wohl Anfang October. Dazu passt das Datum der Schlacht. Auch wird kurz vor dem Auszuge 2, 95 die Geburtstagsfeier des Vitellius, die nach Sueton am 24. Sept. stattgefunden haben muss, erwähnt.

exercitum — circiter quinquaginta milia militum —[1]) iter trecentorum fere milium passuum — tantum abest Roma ab Hostilia — intra decem vel undecim dies fecisse.

Huc accedit quod apud Tacitum legimus (II, 99) corpora animosque Vitellianorum effeminatos et enervatos et impatientes fuisse „solis pulveris tempestatum."

Tales autem milites tam longam viam intra decem vel undecim dies conficere non posse constat.

Has habui causas quibus satis luculenter demonstrari putarem Vitellium non die 24 Sept., sed die 7 Sept. natum esse.

Atque Tacitum ipsum diem 7 Sept. Vitellii natalem habuisse mihi videor. Legimus enim II. 95. natalem Vitellii diem celebratam, inferias Neroni a Vitellio factas, victimas publice caesas crematasque esse.

Pergit tum his verbis: nondum quartus a victoria (apud Betriacum) mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat.

In aperto est, hoc capite contineri duas temporis descriptiones, quibus idem fere tempus significari optimo iure conici potest.

Hoc autem certum est, verbis „nondum quartus a victoria mensis" significari non potuisse id tempus, quod multo ante diem Vitellii natalem erat. Quartus autem mensis a victoria est mensis Augustus, non September. Qua de causa coniecturam facio et loco „quartus" „quintus" lego.

Quo concesso omnes difficultates sublatae sunt. Nam cum notum sit, pugnam apud Betriacum die 15 April[2]) commissam esse, nondum quintus mensis ab hoc die nihil aliud significat nisi nonnullis diebus ante diem 15 Sept. Ex quo aliqua probabilitate concludi potest Tacitum quoque die 7 Sept. Vitellium esse natum putasse.

[1]) cf. Tac. II, 100.

[2]) cf. pg. 4.

Appendix.

Quae ratio intercedat inter Tacitum et Plutarchum.

Quamquam iam tricesimum tertium annum multi et ii docti, utrum Plutarchus in vitis Galbae et Othonis Taciti libros historiarum exscripserit an uterque adhibuerit communem fontem, inquirere student, tamen ad hoc tempus consensio non exstat.

Atque Hirzel [1]) primus quaestionem de hac re diligenter et subtiliter habuit contenditque Tacitum et Plutarchum eodem fonte usos esse.

Quam sententiam deinde Peter [2]) et Mommsen [3]) et Nissen [4]) non modo probaverunt, sed etiam novis argumentis confirmaverunt.

Mommsen [5]) etiam et Hirschfeld, [6]) quibus Nissen [7]) quoque assensus est, a Plutarcho Galbae et Othonis vitas prius scriptas esse quam a Tacito historiarum libros statuerunt.

At eodem fere tempore quo Mommsen commentationem suam scripsit, Octavius Clason [8]) Plutarchum Tacitum secutum esse demonstrare studuit. Ex quo tempore numerus eorum, qui Plutarchum ex Taciti hausisse putant, augeri videtur.

---

[1]) Hirzel, comparatio eorum quae de imperatoribus Galba et Othone relata legimus apud Tacitum, Plutarchum, Suetonium, Dionem Cassium instituta cum ad illorum scriptorum indolem tum ad fontium ex quibus hauserint rationem pernoscendam. Stuttgart 1851, Progr.

[2]) H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halle 1865, pag. 28—44.

[3]) Mommsen, Hermes IV, pag. 295. 325.

[4]) Nissen, l. l. pag. 497 sq.

[5]) l. l. pag. 297 adn. 2.

[6]) Hirschfeld, Römische Verwaltungsgeschichte, Bd. I pag. 98 adn. 5.

[7]) l. l. cf. pag. 502.

[8]) O. Clason, Plutarch u. Tacitus, eine Quellenuntersuchung. Berlin 1870

Nam quamquam Sickel [1]) et Beckurts [2]) in dissertationibus hanc quaestionem attigerunt neque quod Clason contendit, probaverunt, tamen Krauss [3]) et Lange, [4]) qui postremi, quod sciam, hanc rem in disceptationem quaestionemque vocaverunt, Clasonis sententiam animo comprehensam habent et confirmare student.

Qui duo viri docti, ut hanc rem breviter hoc loco attingam, faciunt.

Lange de hac re multis verbis disseruit et quod evitari non potuit, Plutarchum scripsisse post Tacitum ostendere studuit.

Sed hoc ad solvendam quaestionem nihil valet. Nam si modo Lange Taciti libros prius editos esse quam vitas Plutarchi planum fecit, hac re non efficitur, Plutarchum ex Taciti libris hausisse. Maxime autem Langei, ut opinor, interfuit sententias, quas viri docti de communi Taciti et Plutarchi fonte protulerunt, refellere.

Sed propius accedam: contendo Tacitum et Plutarchum eodem fonte usos esse atque hanc sententiam argumentis ex iisdem locis, qui Kraussio et Langeo ita esse interpretandi videntur, ut contrarium demonstretur, petitis confirmabo.

Longum autem et supervacaneum est omnes locos, quos Tacitus et Plutarchus iisdem fere verbis expressos praebent, hic proferre; nam mirum esse inter Tacitum et Plutarchum consensum omnes viri docti consentiunt. Itaque hanc quaestionem comparandis paucis locis ad finem perduci posse mihi videor.

Lange [5]) et Krauss ad sententiam suam comprobandam conferunt locum Taciti II. 37: invenio apud quosdam auctores etc. cum Plutarcheo Oth. c. 9. *ἑτέρων δὲ ἦν ἀκούειν κ. τ. λ.*

---

[1]) Sickel, de fontibus a Cassio Dione in conscribendis rebus inde a Tiberio usque ad mortem Vitellii gestis adhibitis, Göttingen Dissert. 1876.

[2]) l. l. cf pag. 2.

[3]) l. l. pag. 2—5.

[4]) Lange, de Tacito Plutarchi auctore. Halle Dissert. 1880.

[5]) l. l. pag. 5.

Atque Krauss[1]) dicit, si verba illa Taciti cum Plutarcheis conferuntur, ostendi posse, „Plutarchum cum illa scriberet, neminem nisi Tacitum secutum esse."

Plane autem ut intellegatur, quo iure sententia nostra prolata sit, verba Plutarchea cum Taciteis hic diligenter comparabo.

Tac. II, 37	Plut. Oth. c. 9.
invenio apud quosdam auctores	*ἑτέρων δὲ ἦν ἀκούειν.*
pavore belli seu fastidio utriusque principis . . . dubitasse exercitus,	*ὅτι τοῖς στρατεύμασιν ἀμφοτέροις παρίσταντο ὁρμαὶ πολλαί, ὡς εἰς ταὐτὸ συνελθεῖν.*
num posito certamine vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent legere imperatorem.	*καὶ μάλιστα μὲν ὁμοφρονήσαντας ἐκ τῶν παρόντων ἡγεμονικῶν ἑλέσθαι τὸ ἄριστον, εἰ δὲ μή, τὴν σύγκλητον ὁμοῦ καθίσαντες ἐφεῖναι τὴν αἵρεσιν ἐκείνῃ τοῦ αὐτοκράτορος.*
atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe Paulini...	Hoc apud Plutarchum fine capitis ita legimus: *ταῦτ' οὖν ὑπονοοῦσι τούςτε περὶ τὸν Κέλσον αἰσθανομένους ἐμβαλεῖν διατριβὴν κ. τ. λ.*
ego ut concesserim apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum, ita neque Paulinum . . . . . sperasse . . . . Sequntur tres causae . . . II, 38 ostenditur rebus gestis Romanorum, cupidinem potentiae hominibus	*καὶ οὐκ ἀπεικός ἐστι μηδετέρου τότε τῶν προσαγορευομένων αὐτοκρατόρων εὐδοκιμοῦντος ἐπιπίπτειν τοιούτους διαλογισμοὺς γνησίοις καὶ ἐπιπόνοις καὶ σωφρονοῦσι τῶν στρατιωτῶν,*

[1]) l. l. pag. 3. Comprobo autem, Kraussium pag. 4 contra Mommsenium l. l. pag. 308 Plutarchi verba *ἑτέρων δὲ ἦν ἀκούειν* ita interpretatum esse, ut non ad milites Othonis, sed ad auctores pertineant.

insitam esse, cuius rei haec testimonia afferuntur:	
1) certamina inter patres plebemque;	
2) turbulenti tribuni consules praevalidi;	
3) mox e plebe infima C. Marius et nobilium saevissimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. post quos Cn. Pompeius occultior, non melior, et numquam postea nisi de principatu quaesitum.	*ὡς ἔχθιστον εἴη καὶ δεινόν, ἃ πάλαι διὰ Σύλλαν καὶ Μάριον, εἶτα Καίσαρα καὶ Πομπήϊον ᾤκτείροντο δρῶντες ἀλλήλους καὶ πάσχοντες οἱ πολῖται ταῦτα νῦν ὑπομένειν ἢ Οὐϊτελλίῳ*
non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituros bellum fuerint.	*λαιμαργίας καὶ οἰνοφλυγίας ἢ τρυφῆς καὶ ἀκολασίας Ὄθωνι τὴν ἡγημονίαν χορήγημα προθεμένους.* *Ταῦτ' οὖν ὑπονοοῦσι τούς τε περὶ τὸν Κέλσον αἰσθανομένους ἐμβαλεῖν διατριβήν, ἐλπίζοντας ἄνευ μάχης καὶ πόνων κριθήσεσθαι τὰ πράγματα κ. τ. λ.*

Jam vides Plutarchum nonnullis locis rem uberius tradidisse; haec quidem in promptu fuerint. Gravioris autem momenti est, quod Plutarchus alio loco ac Tacitus cunctationem Othonis ducum rettulit. Plutarchum autem Tacito auctore usum hanc transmutationem fecisse, — quam apud Tacitum non sine causa ortam esse postea intellegemus —, quis est qui credat? Praeterea si Plutarchum ex Tacito fluxisse statuimus, ulla ratione explicari non potest, quam ob rem Taciti verba „duces Othonianos, praecipua spe Paulini" ab Plutarcho in „*τούς τε περὶ τὸν Κέλσον*" mutata sint. Neque vero hoc obliviscendum est, in tota fere narratione Taciti Suetonium Paulinum, in Plutarchea Marium Celsum principatum obtinere[1]).

[1]) Plut. Oth. c. 5 *ἐξέπεμψε Μάριόν τε Κέλσον καὶ Σουητώνιον Παυλῖνον* c. 7. *οἱ δὲ περὶ τὸν Κέλσον καὶ Παυλῖνον* c. 9. *τούς τε περὶ τὸν Κέλσον.'*

Restat ut, quod Tacitus et Plutarchus ex exemplis, quae uterque a rebus gestis Marii Sullae, Pompei Caesaris petiverit, concludant, id nobiscum reputandum sit.

Haec est Taciti argumentatio:

In bellis civilibus, in proeliis apud Pharsaliam ac Philippos commissis, quamquam civium legiones arma contulissent, tamen ad concordiam res numquam adductas esse. Itaque inepti stultique esse existimare, Othonis et Vitellii exercitus — respice hoc vocabulum, quo militibus, quod iis auxiliares et classici mixti erant, contemptio allata est[1] — sponte belli finem facturos esse.

Contra Plutarchus tantum ab ista sententia abest, ut credat, milites Othonis ac Vitellii tales labores et calamitates, quales olim cives propter tantos viros, quanti Sulla Marius, Pompeius Caesar fuerant, sustulissent, nullo modo esse suscepturos, ut aut Othoni aut Vitellio, pessimis et flagitiosissimis hominibus, imperium traderent.

Ex quo perspicuum est, exemplis prolatis demonstraturum esse Plutarchum, milites Othonis ac Vitellii ad societatem et pacem inclinasse, Tacitum autem contrarium.

Iam etiam intellegitur, quod supra leviter tetigimus. Diximus, Tacitum priore loco quam Plutarchum cunctationem Othonis ducum rettulisse. Sane vides Tacitum hanc rem propterea alio loco commemorasse, quod eam exemplis a Sulla Mario, Caesare Pompeio petitis, quippe quae aliter ac Plutarchus interpretatus esset, innectere non potuit.

His expositis quaerendum est, quam ob rem Tacitus aliam rationem ac Plutarchus ex iisdem exemplis concluserit.

Tacitus enim verba ab „ita neque Paulinum“ (II, 37) usque ad „temptamenta civilium bellorum“ (II, 38) non ex communi fonte hausisse, sed addidisse ex suo ingenio videtur.

Cuius cum permultum interesset demonstrare, quam inepta esset opinio, Paulinum sperasse fore ut milites inter

[1]) Eodem modo Ritter l. l. pag. 135 civium legiones: cum vi additum est civium, quibus opponuntur exercitus Othonis ac Vitellii (die Heerschaaren eines Otho und Vitellius) quippe exercitus ex aligenis magnam partem collecti sub Vitellio et Othone militabant.

sese in gratiam redirent ac novum imperatorem eligerent, primum tres causas ex Paulini sententia attulit, tum ipse (II, 38) exemplis ex rebus gestis Romanorum petitis hominibus potentiae cupidinem esse insitam docuit.

Cum autem Tacitus nomina quoque Marii Sullae, Pompei Caesaris, quae in fonte scripta invenit, non omissurus, sed prolaturus esset, ex his exemplis nihil aluid concludere potuit, nisi quod cum iis, quae antea proposuerat, congruit. Itaque ei colligendum erat, cogitatione comprehendi nullo modo posse, exercitus Othonis ac Vitellii arma posituros et inter se reconciliaturos esse „corruptissimo saeculo“, cum prioribus temporibus ne cives quidem, qui arma contulerant, in concordiam redissent.

Sed haec hactenus.

De altero toco, quem Lange et Krauss, ut ostendant Plutarchum Tacitum exscripsisse, afferunt, nunc paucis disseram.

Tacitus II, 34 et Plutarchus Oth. c. 10 narrant, gladiatores Othonis, cum Caecina et Valens Padi transitum simulassent, id impedire studuisse. Praeterea Tacitus tradit et Vitellianos navium pontem fecisse et turrim struxisse in extrema nave, „unde tormentis et machinis hostes propulsarentur“, et gladiatores in ripa turrim struxisse et faces saxaque iaculasse.

Plutarchus neque hoc commemorat et a gladiatoribus naves pice et sulphure completas ponti immissas esse dicit.

Verba autem, quae sequuntur, recte intellegi non possunt[1]).

Sed quomodo hoc loco demonstrari possit, Plutarchum Tacito usum esse non intellego. Lange credo dicet, Plutarchum quod de navibus pice et sulphure completis narraret, id excogitasse, ut narrationem exornaret et amplificaret.

Neque Kraussio[2]) assentior, qui ut Plutarchi verba explicet, dicat Plutarchum, „quae apud Tacitum de trepidatione gladiatorum navibus transvectorum narrata sunt, confudisse cum gladiatorum pontis incendendi conatibus.“

[1]) Krauss l. l. pag. 13. Lange l. l. pag. 21.
[2]) Krauss l. l. pag. 13.

Nam quod apud Tacitum II, 35 legimus, id a Plutarcho c. 10 verbis: *οἱ δὲ Γερμανοὶ τοῖς Ὄθωνος μονομάχοις περὶ νησῖδα τοῦ ποταμοῦ προσμίξαντες ἐκράτησαν καὶ διέφθειραν αὐτῶν οὐκ ὀλίγους* breviter narratum est.

De altero autem certamine gladiatorum cum Batavis commisso (Tac. h. II, 43, Plutarch. Oth. c. 12) iam supra demonstravi [1]) Langeum, cum Plutarchum excogitasse illam pugnam contenderet, vehementer errasse.

Alios locos ex quibus intellegi potest, Plutarchum non Tacito usum esse, sed utrumque communem fontem adhibuisse, pag. 9 et 14 attuli.

Haec satis esse mihi videntur ad eam quam supra protuli sententiam comprobandam.

---

1) cf. pag. 5.

VITA.

Max Julius Puhl natus sum Filehnae in oppido Posniensi die XXI. Sept. a. 1856 patre Eduardo, matre Ida, e gente Pfau, quibus adhuc superstitibus vehementer gaudeo. Fidei adductus sum evangelicae.

Primum adii paedagogium Ostroviense ad Filehnam situm, deinde gymnasium regium Schneidemuehlense. Autumno a. 1876 maturitatis testimonium adeptus, cum nomen apud facultatem philosophicam professus essem, civibus Universitatis Berolinensis rite adscriptus sum. Docuerunt me per septies sex menses viri ill: Curtius, J. G. Droysen, H. Droysen, Huebner, Kiepert, A. Kirchhoff, Lepsius, Mommsen, Nitzsch, Prutz, Robert, Joh. Schmidt, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Zeller.

Quibus viris cum omnibus gratias ago quam maximas, tum imprimis J. G. Droysen et Theodoro Mommsen, qui, ut historicis exercitationibus interessem, benigne concesserunt.

Studiis meis absolutis examen quod dicunt publicum pro facultate docendi d. XVI et XVII Maii a. 1881 sustinui. Tum iussus sum a collegio scholis publicis provinciae Marchiae praeposito docere probandi causa in gymnasio regio quod est Francofurti ad Viadrum.